Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3183
Quelle:
Copyright:

ptis agit *Petrejus* in *Bibl. Ord.* p. 195.

DCCCCXLVIII.

864 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 190. 12. charactere minuto exaratus, minio distinctus, et 4. iconibus rudi opere xylographico e Domini Passione depromtis ornatus, Precatorius est, praecedente *Calendario*, in quo Epiphania *der oberist Tag*, B. V. Annuntiatio *Vnser Frawen Becleib*, Assumtio vero *Vnser Frawen Burczweib* dicitur. Continet vero *Psalmos VII. de Poenitentia* dictos cum *Litaniis* OO. SS. in quibus cum nominatim invocetur *S. Pöllt*, Preces has in D. *Hippolyti* Oppido *Austr.* infer. conscriptas esse, credibile fit; id quod et dialectus suadet multa propria subpeditans. Sequuntur Preces *de Passione Domini*, *Dedicatione Templi*, *Formula Confessionis* Peccatorum, *Horae* et *Missa de B. V. Maria*, aliaque ad eam directa Pietatis simplicissimae Exercitia, quibus plerumque praemittitur Methodus quaedam aut Commendatio intutis traditionibus fulta.

DCCCCXLIX.

497 Codex membraneus germ. Sec. XVI. Folior. 100. 4. nitidissime exaratus, Literis initiorum auro, coloribusque conspicuus, titulisque omnibus miniatis ἐργοδιωκτῳ habuit *Albertum Brandeburgicum* Card. Electorem et Archiep. *Moguntinum*, ut ad calcem docetur sequentibus: *Got dem almechtigen zu lob vnd milter betrachtung des bitteren leydens Jesu christi vnsers seligmachers. Durch den Hochwirdigsten in got vater Herrn Albrechten Cardinaln Legatum natum Erzbischoffen zu Magdeburg vnd Meyntz &c. Bestalt vnd geschrieben In der Ertzbischofflichen stad Hall Anno domini. 1537. Geendet am 25 tag Septembris.* Complectitur vero pias in Vitam et Passionem *Christi* Meditationes seu Precationes potius hoc rubro: *Von dem gantzen Leben des Mitlers Gottes vnd der Menschen Jesu christi. Zum ersten, eyn Danckſagung vnd gebete, gott zu loben, vnnd leyttende zu andacht.* Initium: *Got meyn herr, ich beger dich zu loben, wan dich zu loben bekenne ich mich beschaffen seyn.* &c. Sequitur Meditatio de creatione et lapsu primi hominis, de ejus revocatione per Verbi incarnationem, de Partu Virginis &c. Ultima Precatio est de quinque Plagis Servatoris, in qua Autor, quisquis is fuerit, subfragiis DD. *Hieronymi* et *Catharinae* se commendat. Unde conjectare licet, illum olim peregrinationem ad Loca sacra *Palaestinae* suscepisse, visitasseque *Hieronymi* in *Bethlehem* et *Catharinae* in Monte *Sinai* memorias. Id quod factum constat a *Bernardo de Breidenbach* Ecclesiae *Mogunt.* Camerario et Decano a. 1483. cujus *Itinerarium* pluribus linguis Sec. etiamnum XV. vulgatum fuisse norunt Eruditi. Sed hactenus conjectura. Quod

porro